



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

**Parisiis, 1644**

De fideli discedente a fide propter libidinem, & amorem infidelis; & de  
forma recipiendi eum aut eam ad poenitentiam. Capvt LXIX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15072**

ANNO  
CHRISTI  
325 De fideli discedente a fide propter libidinem, & amorem infidelis; & de  
forma recipiendi eum aut eam ad pœnitentiam.

CAPVT LXIX.

Si quis fidelium mulieri infideli morem gerat propter fornicationem, aut mulier fidelis viro infideli; & ob hanc causam a fide recedant; pœnitentia horum sit, vt spatio trium annorum stent ad ianuam templi in cilicio & cinere; & peracto hoc tempore intrent in ecclesiam ad orationem; sed ita, vt spatio vnius anni stent in angulo ecclesiæ ab aliis separati: neque liceat eos salutare, neque cum eis communionem participare. transacto autem anno, debet sacerdos benedicere aquam & oleum, non sicut benedicitur in baptismo, nec vt benedicitur chrisma, sed vt oleum infirmorum, & vt benedicitur aqua ad emundationem immunditiæ eorum qui comederunt morticinum: & sic debet eis benedicere sacerdos, & aspergere eos aqua ista; & ipsi etiam debent compungi, & mundabuntur, remitteturque eis peccatum orando pro ipsis. faciendaque est diligens de eis inquisitio, & sic dabitur communio. & qui non paruerit, Synodus eum excommunicat.

*De hospitali faciendo in omni ciuitate, & de electione prefecti,  
& de officio eius.*

CAPVT LXX.

Vt sit in omnibus ciuitatibus locus separatus peregrinis, infirmis & pauperibus, qui vocetur xenodochium, id est, hospitium peregrinorum. Et eligat episcopus aliquem ex fratribus qui habitant in deserto, qui sit peregrinus, & procul distet a patria,

Oo iiiij